



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

IX. Intoleranda eorum impudentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

190 BONA VOLUNTAS
Israëlitarum, ac Judæorum, verba repe-
rire est.

IX. *Intoleranda
eorum im-
pudentia.* *Vae, inquit Isaias cap. 45. qui con-
tradicit factori suo, testa de Samiis
terra. Ecce, inquit Jeremiæ ca-
lamo Deus cap. 18. sicut lutum in manu fi-
guli, ita & vos in manu mea: & tu Baruc,
fide secretorum meorum depositarie, lu-
tum es: & tu Sobna, quantumcumque
inter primores emineas, aut eminere vi-
dearis, coram Deo lutum es: & tu Rex Se-
decia, scepro, diademate, purpurâ orna-
tum lutum es: & vos filia Sion, amictæ
auro primo & gemmis splendidæ, lutum
estis: & tu Regina, in cultu Persico &
luxu Babylonico, lutum es. Luto suo facit
figulus quod vult: Deus suo, quod volet,
non faciat? Aquâ figulus lutum macerat:
Deus vult, ut afflictionum aquæ intrent
usque ad animam nostram. Pinsit lutum
figulus: calamitosos conculcat homo,
tota die impugnans tribulat. Figulus ma-
nibus lutum effigiat: Deus in homine
calamitoso vertit & convertit manum
suam. Dirumpit figulus lagenam aut
vascu-*

vasculum suum, quando collubuerit, contritione prævalida : Deus confringet ad numerum dentes nostros, quando fuerit collibitum, & sicut vas figuli confringet nos. Sapiientis erit dicere cum Michæa cap. 7. *Iram Domini portabo, quia peccavi ei: aut cum Jobo, Peccavi, & verè deliqui & sicut dignus eram non recepi* : vel, verbis Machabæi nostri, amantiùs & suaviùs, *sicut fuerit voluntas in celo, sic fiat*. Sin obmurmuret, & conqueratur testa de Samiis terræ, quis impudentem insaniam non excretur ? Interrogabat Corinthios Paullus I. epist. cap. 9. *Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit ? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat ?* Indignetur scilicet vitis, uvam à vinitore decerpi & exprimi : non patiatur ovis à pastore se tonderi. Irascatur homo, quod à Deo intorculari dolorum ponatur, & bonis caducis velut lanâ spoliatur : cùm tamen longè magis proprium sit Dei peculium, quàm vinea vinitoris, aut vervex pastoris. Maetabitur itaque pecus inutile: vitis obdurata & infrugifera
 refeca-

refecabitur, ut flammis pabulum fiat: & homines tam insanè & impudenter impatientes, sicut oves in inferno ponentur, mors depascet eos.

x.

Genus

alterum.

Alterum impatientium genus, Deo quidem parcat, at non sibi: id est adversus Providentiam divinam directò non pugnat, sed indirectè, & per suum ipsorum latus. Isti simul infortunium haud expectatum incurrere, attoniti hærent, velut quos fulmen percussit: mox projecto animo, depositâ omni de Deo fiduciâ, à solitis pietatis exercitiis cessant. Quibus optimè Bernardus suum illud, epistolæ 256. ad Eugenium Papam, accinuerit: *Numquid ideò debet homo facere quod non debet, quia Deus facit quod vult?* Pejori loco erunt, & ad primum impatientium genus accedent, si, ut calamitates exeant, ad malas artes confugient, nec tantùm bona debita omittent, sed etiam mala vetita committent. Eum in modum Saül, ingruentium hostium metu percitus, posteaquam responsum à Deo nec per sacrificia, nec per vaticinia,

nec